



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Praxis Episcopalis

Piasecki, Paweł

Coloniae Agrippinae, 1620

De iurisdictione Fori pœnitentialis, & in quibus non possit absoluere
Episcopus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61608](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61608)

inuicem priuilegia communicent. vt
consect. cit. in sum. eorum priuileg. 3. c.
 5. Vnde & Patres Soc. Iesu eodem priuilegio
 vti possunt, cum eorum quoque
 Soc. inter ordines mendicantium censeatur.
 Constit. Pij V. quam alia occasione
 referemus. Imò expressè illis hæc facultas
 consecrandi paramenta Ecclesiæ fuit
 concessa à Paulo iun. vt in eius const. re-
 lata apud Eman. Roder. in sua collect. pri-
 uil. Tom. 2.

Similiter & Abbates benedicere pos-
 sunt dicta paramenta, quisque pro usu
 duntaxat Ecclesiæ suæ. c. Abbates. iun. gl.
 v. tonsuram. de priuileg. in 6. non tamen
 calicem vel patenam, neque alia in qui-
 bus adhibenda esset olei unctio. vt gl. ead.
 Neque corporalia. c. consulto. dist. cii. de
 consecr. Ang. v. benedictio. num. 2.

Campanæ etiam ex consuetudine Ec-
 clesiæ benedicuntur cum unctioe olei
 & Chrismatis, libri tamen Ecclesiæ non
 solent benedici. gl. in c. 1. de pignoris.

Profanantur vasa sacra, & vestes cum
 amittunt formam propriam, non autem
 si sint leuiter lacera. Ang. Arm. locis cit.

Vetusta autem & consumpta in vsu
 prophanos conuerti non debent, sed in
 loco honesto reponi sicut & ligna parietum
 Ecclesiæ seu altaris cremanda sunt.
 cap. ligna Ecclesia. dist. cit. de consecr.

Pro consecratione Ecclesiæ vel altaris
 vel pro benedictionibus prædictis, nihil
 potest recipere Episcopus præter pro-
 curationem, si fuerit hæc loci consue-
 tudo. c. sum sit Romana. de sim. c. placuit.
 1. q. 2. Abb. in c. proposuisti. nu. fin. de con-
 secr. Eccles.

PRAXIS EPISCOPALIS PARS SECVNDA.

De potestate Iurisdictionis Episcopalis.

Ordinis Episcopalis potestate secundum quod breuitatis ratio postulabat
 absoluta, subsequitur iurisdictionis ipsius tractatio. Quæ quoniam multi-
 plex est, alia enim fori pœnitentialis, alia fori contentiosæ, alia demum vo-
 luntaria dici potest: nos etiam iuxta diuisionem hanc aliqua de ipsa referre con-
 abimur. Et in primis quidem eam quæ est fori pœnitentialis absoluemus, tanquam
 affinitatem præcedenti tractatui, similia similibus magis coniungentes.

CAPVT PRIMVM.

DE IURISDICTIONE FORI PœNI- tentialis.

ARTICVLVS PRIMVS.

In quibus casibus absoluere non possit Episcopus.

1. Episcopi in locum Apostolorum successerunt.
2. Papa solus habet plenitudinem potestatis in Ecclesia.

3. Papa

3. Papa potest sibi referuare casus quos vult.
 4. Casus referuati in Bulla Cœne Domini.
 5. Casus Papa referuati in corpore iuris. Conc. & diuersorum extrauag.

r. **C**irca hoc itaque notandum est in primis, quod licet Apostoli à Domino parem cum Petro acceperint potestatem. *c. in nouo. dist. 21. dist. Host. in sum. de temp. ord. num. 34.* eam tamen acceperunt in persona Petri. *cap. quodcumq. 24. q. 1. & propterea Petrus solus obtinet principatum, nam illi soli dictum est. Ioan. 21. Pasce oues meas c. puto. q. 7.* consequenter & Papa qui in Petri successit locum, licet eandem videatur habere potestatem cum Episcopis qui in locum Apostolorum successerunt. *cap. quorum vices. 68. dist. c. videntes. 12. q. 1. Abb. inc. per venerabi em. num. 20. qui fil. sint legit. Conc. Trid. sess. 23. c. 4.* principatum tamen iurisdictionis solus habet, eamque immediatam à Christo Domino in vniuersa Ecclesia. *cap. fuit semper. cap. cuncto. & seq. 9. q. 3. c. est aliud. 24. quest. 1. extrauag. vnam sanctam. de maior. & obed. comm.* Episcopi autem habent illam communicatiuè per Papam, & dependenter ab ipso. *cap. ita Dominus. 19. dist. Theologi communiter in 2. 2. q. 1. art. 10. præterea S. Th. in 4. dist. 19. q. 1. art. 3. Caiet. Tom. 1. opusc. tract. 1. c. 2. Turrecrem. in sum. de Eccles. lib. 2. ca. 54. Couar. in Reg. peccatuum. 2. p. 6. 9. à num. 6. Nau. in Man. cap. 27. num. 263. Suarez de Sacram. disp. 25. sect. 1.* qui ex hoc fundamento disputant, an potestas Episcoporum sit de iure Diuino vel humano, cum illis non detur nisi mediate per Summum Pontificem. Et quidem limitata ipsis semper conceditur, tū quoad certum populum seu Diocesim determinatam, extra quam ipsorum iurisdictionis non extendatur, vnde manauit prohibitio, ne aliquis in subditos alienæ

Diocesis iurisdictionem exercent. *cap. placuit. de penit. dist. 6. c. quod autem. c. omnis. de penit. & remiss.* Tum etiā quod genera peccatorum, nam aliqua consuevit sibi retinere Papa. *cap. si quis. 17. q. 4. c. cum illorum. de sent. excom.* Hancq; potestatem referuando tū casuum fuisse semper in Ecclesia sufficienter deducit Suarez lo. cit. de Sacram. disp. 29. sect. 1. num. 2. & expresse Conc. Trid. sess. 14. cap. 7. & can. 11. vbi tenentes contrariū anathemate damnat.

Referuare itaque solet sibi Papa plures casus in quibus Episcopi sese intrmittere non possunt: & primo referuati sunt ipsi casus contenti in Bulla cœnæ Domini, in qua cum tot fere sint casus & sententiæ quot verba, nec sine periculo omissionis necessariorum summari possit, & vt ex ipso fonte potius casus huiusmodi referuati cognoscantur, tenorem ipsius utilitati & commoditati omnium hic posuimus. Explanatio autem eius haberi potest à Nau. in man. cap. 27. à num. 49. Suarez de cens. disp. 21. sect. 1. & 2. Vinald. in suo candelabro aut. Bulla ipsa Pauli PP. V. feliciter moderni est vt sequitur.

PAVLVS EPISCOPVS

Seruus Seruorum Dei ad futuram rei memoriam.

Pastoralis Romani Pontificis vigilantia & sollicitudo, cum in omni Christiana Reipub. pace & tranquillitate procuranda pro sui muneris officio assidue versatur, tum potissimum in Catholica fidei, sine qua impossibile est placere Deo. vnitatem atq; integritatem retinendam & conseruanda maximè elucet. Nimi-

rum ut fideles Christi non sint paruuli fl. & uantes, neq; circumferantur omni uenta doctrina in nequitia hominum ad circumuentionem erroris, sed omnes occurrant in unitatem fidei & agnitionis Filij Dei in uinum perfectum, neque se in huius uita Societate & communione ledant, aut inter se alter alteri offensionem praebeat, sed potius in vincula charitatis coniuncti, tanquam unius corporis membra sub Christo capite eiusq; in terris Vicario Romano Pontifice Beatissimi Petri successore, à quo totius Ecclesiae unitas dimanat, augeantur in adificationem; atq; ita Diuina gratia adiuuante sic praesentis uita quiete gaudeant, ut futura quoque beatitudine persuantur. Ob quas sanè causas Romani Pontificis praedecessores nostrae hodierna die qua anni uersaria Dominica Coena commemoratione, solemnis est, spirituale Ecclesiastica disciplina gaudium & salutaria iustitia arma ministerium summi Apostolatus, ad Dei gloriam, & animarum salutem solemniter exercere consueuerunt.

Nos igitur quibus nihil optatius est quam fidei inuiolatam integritatem, publicam pacem & iustitiam Deo auxilio tueri, uetustum & solemnem hunc morem sequentes.

Excommunicamus & anathematizamus ex parte Dei omnipotentis Patris & Filij & Spiritus sancti, auctoritate quoq; Beatorum Apostolorum Petri & Pauli ac nostra, quoscuq; Hussitas, Wicleffistas, Lutheranos, Zuinglianos, Caluinistas, Vgonottos, Anabaptistas, Trinitarios, & à Christiana fide Apostatas, ac omnes & singulos alios Hæreticos

cos quocunq; nomine censeantur, & cuiuscunq; secta existant, eorum credentes, receptatores, fautores, & generaliter quoslibet illorum defensores, ac eorundem libros Hæresim continentes, vel de religione tractantes, sine auctoritate nostra, & Sedis Apost. scienter legentes aut retinentes, imprimentes, seu quomodolibet defendentes ex quauis causa publicè vel occultè, quouis ingenio vel calore: nec non Schismaticos & eos qui se à nostra & Romani Pontificis pro tempore existentis obedientia pertinaciter subtrahunt vel recedunt.

Item excommunicamus & anathematizamus omnes & singulos cuiuscunq; status, gradus seu conditionis fuerint, Vniuersitates uerò Collegia & Capitula quocunq; nomine nuncupentur interdiximus ab ordinationibus seu mandatis nostris ac Rom. Pontificum pro tempore existentium ad uniuersale futurum Concilium appellantes: nec non eos quorum auxilio vel fauore appellati fuerint.

Item excommunicamus & anathematizamus omnes Pyratas, Cursarios, ac latrunculos maritimos, discurrentes mare nostrum, praecipuè à monte Argentarijs usq; ad Terracinam: ac omnes eorum fautores, receptatores & defensores.

Item excommunicamus & anathematizamus omnes & singulos qui Christianorum quorumcunq; nauibus tempestate seu intransuersum (ut dici solet) iactatis, vel quoquomodo naufragium passis, siue in ipsis nauibus, siue ex eis dema eiecta, in mari uel in littore inuenta cuiuscunq; generis bona, tam in nostris Tyreni & Adriatici, quam in cæteris cu-

iuscunq; maris regionibus & littoribus furripuerint. Ita vt nec ob quodcunque priuilegium, consuetudinem aut longissimi, etiam immemorabili temporis possessionem, seu alium quemuis pratextum excusari possint.

Item excommunicamus & anathematizamus omnes qui in terris suis noua Pedagia seu gabellas praterquam in casibus sibi à iure seu ex speciali Sedis Apostolica licetia permissis imponunt, vel argentum seu imponi vel augeti prohibita exigunt.

Item excommunicamus & anathematizamus omnes falsarios litterarum Apostolicarum, etiam in forma breuis ac supplicationum gratiam vel iustitiam concernentium, per Romanum Pontificem, vel S. R. E. Vicecancellarios, seu gerentes vices eorum, aut de mandato eiusdem Romani Pontificis signatarum: nec non falsò fabricantes litteras Apostolicas etiã in forma breuis, & etiã falsò signantes supplicationes huiusmodi, sub nomine Romani Pontificis, seu Vicecancellarij, aut gerentium vices predictorum.

Item excommunicamus & anathematizamus omnes illos, qui ad Sarracenos, Turcas, & alios Christiani nominis hostes & inimicos, vel Hæreticos, per nostras siue huius sancte sedis sententia expressè & nominatim declaratos, deserunt seu transmittunt equos, arma, ferrum, filum ferri, stannum, Chalybem, omniãq; alia metallorum genera, atq; bellica instrumenta, lignamina, canapem, funes, ram ex ipso canape, quam aliã quacunq; materia, & ipsam materiam, aliãq; huiusmodi, quibus Christianos & Catholicos impugnant. Nec nõ illos qui per se, vel alios de rebus statum;

Christiana Reipub. concernentibus, in Christianorum perniciem, & damnum ipsos Turcas & Christiana Religionis inimicos, nec non Hæreticos, in damnum Catholica Religionis certiores faciunt illisq; ad id auxilium, consilium vel fauorem quomodolibet prestant. Non obstantibus quibuscunq; priuilegijs, quibusuis personis, Principibus, Rebus publicis per nos, & sedem predictam hactenus concessis, de huiusmodi prohibitione expressam mentionem non facientibus.

Item excommunicamus & anathematizamus omnes impediētes seu inuadentes eos qui victualia seu alia ad usum Romana Curia necessaria ducunt, ac etiam eos, qui ad Romanam Curiam adducantur, vel afferantur, prohibent, impediunt, siue perturbant, seu hæc facientes defendunt per se vel alios cuiuscunq; fuerint ordinis, præminentia, conditionis, & status etiam si Pontificali, seu Regali, aut alia quauis Ecclesiastica vel mundana præfulgeant dignitate.

Item excommunicamus & anathematizamus omnes illos qui ad Sedem Apostolicam venientes & recedentes ab eadem, sua vel aliorum opera interficiunt, mutilant, spoliant, capiunt, detinent; nec non illos omnes qui iurisdictione Ordinariam, vel delegatam, à nobis vel nostris iudicibus nõ habentes, illa sibi temerè vèdicantes, similia cõtramorantes in eadem Curia audent perpetrare.

Item excommunicamus & anathematizamus omnes interficientes, mutilantes, vulnerantes, detinentes seu depradantes Romipetas seu peregrinos ad Urbem causa deuotionis seu peregrinationis accedentes, & in ea morantes, vel

ab ipsa recedentes & in his dantes auxilium, consilium, vel fauorem.

Item excommunicamus & anathematizamus omnes interficientes, mutilantes, vulnerantes, percutientes, capi- entes, carcerantes, detinentes, vel hosti- liter insequentes S. R. E. Cardinales, ac Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, sedusq; Apostolica Legatos vel Nuncios, aut eos à suis Diocesis, territorijs, terris, seu dominijs eicientes, nec non ea mandantes vel rata habentes, seu pra- stantes eis auxilium, consilium vel fauo- rem.

Item excommunicamus & anathe- matizamus omnes illos qui per se vel per alios, personas Ecclesiasticas quascunq; vel seculares ad Rom. Curiam super eo- rum causis & negotijs recurrentes, ac il- la in eadem Curia prosequentes, aut pro- curantes, negotiorumq; gestores, aduo- catos, procuratores, & agentes, seu etiã Auditores, vel iudices super dictis causis, vel negotijs deputatos occasione causa- rum, vel negotiorum huiusmodi occidunt, seu quoquo modo percutiunt, bonis spoli- ant, seu qui per se vel per alios directè vel indirectè delicta huiusmodi commit- tere exequi vel procurare, aut in eisdem auxilium, consilium vel fauorem presta- re non verentur, cuiuscunq; praeminen- tia & dignitatis fuerint.

Item excommunicamus & anathe- matizamus omnes tam Ecclesiasticos, quam seculares cuiuscunq; dignitatis, qui praetextentes siuolam quandam ap- pellationem à grauamine vel futura exe- cutione literarum Apostolicarum, etiam forma Breuis tam gratiam quam iusti- tiam concernentium, nec nō citationum,

inhibitionum, sequestrorum, monitoriorū, processuum executorialium & aliorum decretorum à nobis & à sede praedicta seu Legatis, Nuncijs, Praesidentibus Palatii nostri, & Camera Apostolica Auditorib. Commissarijs alijsq; iudicibus & dele- gatis Apostolicis emanatorum, & qua pro tempore emanauerint, aut alias ad Cu- rias seculares & laicam potestatem re- currunt, & ab ea instante etiam fisci, procuratore, vel aduocato appellationes huiusmodi admitti, ac literas, citatio- nes, inhibitiones, sequestra, monitoria, & alia praedicta capi & retineri faciunt, quia illa simpliciter & sine eorum be- neplacito, & consensu vel exami- ne executioni demandari, aut ne tabel- liones & notarij super huiusmodi litera- rum & processuum executione, instru- menta vel acta conficere aut confecta parti cuius interest tradere debeant, im- pediunt vel prohibent, ac etiam partes seu eorum agentes, consanguineos, affi- nes, familiares, notarios, executores li- terarum, citationum, monitoriorum & aliorum praedictorum, capiunt, percutiunt, vulnerant, carcerant, detinent, ex ciui- tatibus, locis, & Regnis eicientes, bonis spo- liant, perterrefaciunt, concutiunt, & cō- minantur per se, vel alium seu alios pu- blicè vel occultè, quicq; alias quibuscun- que personis in genere vel in specie, nec pro quibusuis eorum negotijs prosequen- dis, seu gratijs, vel literis impetrandis ad Rom. Curiam accedat aut recursum ha- beant, seu gratias ipsas, vel literas à dicta sede impetrent, seu impetratis vtantur, directè, vel indirectè, prohibere, statue- re, seu mandare, vel alias apud se aut no- tarios, seu tabelliones vel alias quomo- dolibet

solibet detinere præsumunt.

Item excommunicamus & anathematizamus omnes & singulos qui per se vel alios auctoritate propria ac de facto quarumcunq; exemptionum vel aliarum gratiarum & literarum Apostolicarum prætextu, beneficiales, & decimarum, ac alias causas spirituales & spiritualibus annexas ab Auditoribus & Commissarijs nostris alijsq; iudicibus Ecclesiasticis auocant, illarumue causas ipsas prosequi volentes impediunt, ac se de illarum cognitione, tanquam iudices interponunt. Quinè partes actrices qua illas committi fecerunt & faciunt, ad reuocandum, & reuocari faciendum citationes vel inhibitiones, aut alias literas in eis decretas, & ad faciendum vel consentiendum eos, contra quos tales inhibitiones emanarunt à censuris vel pœnis in illis contentis absolui per statutum, vel alias compellunt, vel executionem literarum Apostolicarum seu executorialium processuum, ac decretorum prædictorum quomodolibet impediunt, vel suum ad id fauorem, consilium aut assensum præstant, etiam prætextu violentia prohibenda, vel aliarum præensionum, seu etiam donec ipsi ad nos informandos ut dicunt supplicauerint, aut supplicari fecerint, nisi supplicationes huiusmodi coram nobis & sede Apostolica legitimè prosequantur, etiamsi talia committentes fuerint præsidentes Cancellariorum, consiliorum, parlamentorum, cancellariorum, Vicecancellariorum, consiliariorum, ordinarij, vel extraordinarij quorumcunq; Principum secularium, etiamsi Imperiali, Regali, Ducali vel alia quacunque præfulgeant dignitate, aut Archiepiscopi, Episcopi, Abba-

tes, Commendarij seu Vicarij fuerint.

Quinè ex eorum prætenso officio vel ad instantiam partis aut aliorum quorumcunq; personas Ecclesiasticas, Capitula, Conuentus, Collegia Ecclesiarum quarumcunq; coram se ad suum tribunal, audientiam, cancellariam, consiliū, vel parlamentum, præter iuris Canonici dispositionem trahunt vel trahifaciunt, vel procurant directè vel indirectè quouis quasito colore, nec non qui statuta ordinationes, cõstitutiones, pragmaticas seu quauis alia decreta in genere vel in specie, ex quauis causa, & quouis quasito colore, ac etiã prætextu cuiusuis consuetudinis aut priuilegij, vel alias quomodolibet fecerint, ordinauerint, & publicauerint, vel factis & ordinatis vsi fuerint, vnde libertas Ecclesiastica tollitur seu in aliquo leditur, vel deprimitur, aut alias quouis modo restringitur, seu nostris & dicta Sedis ac quarumcunq; Ecclesiarum iuribus, quomodolibet directè vel indirectè, tacitè vel expressè præiudicatur.

Nec non qui Archiepiscopos, Episcopos aliosue superiores & inferiores prelatos & omnes alios quoscunque iudices Ecclesiasticos ordinarios quomodolibet hac de causa directè, vel indirectè, carcerando vel molestando eorum agentes procuratores vel familiares nec non consanguineos, & affines, impediunt, quo minus sua iurisdictione Ecclesiastica contra quoscunq; utantur, secundum quod Canones & sacra constitutiones Ecclesiasticae & decreta Conciliorum Generalium & præsertim Tridentini statuunt; ac etiam eos, qui post ipsorum ordinariorum vel etiam ab eis delegatorum quorumcunq; sententias & decreta,

aut alias fori Ecclesiastici iudicium eludentes, ad Cancellarias & alias Curias seculares recurrunt, & ab illis prohibitiones & mandata etiam pœnalia Ordinarijs, aut delegatis prædictis decerni & contra illos exequi procurant; eos quoque qui hac decernunt, & exequuntur seu dant auxilium, consilium, patrocinium, & fauorem in eisdem.

Quæ iurisdictiones, seu fructus, redditus & proventus ad nos, & sedem Apostol. & quascunq; Ecclesiasticas personas ratione Ecclesiarum, monasteriorum & aliorum beneficiorum Ecclesiasticorum pertinentes vsurpant, vel etiam quavis occasione, vel causa, sine Rom. Pontificis vel aliorum ad id legitimam facultatem habentium expressa licentia sequestrant.

Quæ collectas, decimas, talleas, præstantias, & alia onera, Clericis, Prælati, & alijs personis Ecclesiasticis, ac eorum & Ecclesiarum, Monasteriorum & aliorum beneficiorum Ecclesiasticorum bonis, illorumq; fructibus, redditibus & proventibus, huiusmodi, absque simili Rom. Pontificis speciali, & expressa licentia imponunt, & diuersis etiã exquisitis modis exigunt, aut sic imposito etiã à sponte dantibus & concedentibus recipiunt. Nec non qui per se vel alios, directè vel indirectè prædicta facere exequi vel procurare, aut in eisdem auxilium, consilium, vel fauorem præstare non verentur, cuiuscunq; sint præeminentia, dignitatis, ordinis, conditionis, aut status, etiamsi Imperiali aut Regali præfulgeant dignitate, seu Principes, Duces, Comites, Barones & alij Potentatus quicunque, etiam Regnis, Prouincijs, Ciuitatibus & Ter-

ris quoquomodo præsidentes & Consiliarij, & Senatores aut quauis etiam Pontificali dignitate insigniti innouantes decreta super his per sacros Canones tã in Late arnen, nouissimè celebrato, quã alijs Concilijs generalibus edita, etiam cum sensuris, & pœnis in eis contentis.

Item excommunicamus & anathematizamus omnes & quoscunq; Magistratus & Iudices, Notarios, Scribas, Executores, & Subexecutores quomodolibet se interponentes in causis capitalibus seu criminalibus contra personas Ecclesiasticas, illas processando, banniendo, capiendo seu sententias contra illas proferendo vel exequendo, sine speciali specifica & expressa huius sancta Sedis Apostolica licentia. quicq; eiusmodi licentiam ad personas & casus non expressos extendunt, vel alias illa perperam abutuntur, etiamsi talia committentes, Consiliarij, Senatores, Præsidentes, Cancellarij, Vicecancellarij aut quouis alio nomine nuncupati.

Item excommunicamus & anathematizamus omnes illos qui per se, seu alios directè vel indirectè sub quocunq; titulo vel colore inuadere, destruere, occupare ac detinere præsumserint in totum vel in partem Almam Urbem, Regnum Sicilia, Insulas Sardinia, Corsica, Terras circa Pharum, Patrimonium B. Petri in Tuscia, Ducatum Spoletanum, Comitatum Venaysinum, Sabinsensem, Marchiam Anconitanam, Massam Trebariam, Romandiolam, Campaniam, & maritimas prouincias illarumq; terras & loca ac Terras specialis commissionis Arnulfori Ciuitatesq; nostras Bononiam, Cæsennam, Ariminum, Beneuentum, Perusium,

Aud-

Auinionem, Ciuitatem Castelli, Tuderum, Ferrariam, Comaclum, & alias ciuitates, Terras, & Loca, vel iura, ad ipsam Romanam Ecclesiam pertinentia, dictaq; Romana Ecclesia mediata vel immediate subiecta, nec non supremam iurisdictionem in illis, nobis & eidem Romana Ecclesia competentem, de facto usurpare, perturbare, retinere, & vexare varijs modis presumant; nec non adherentes fautores & defensores eorum seu illis auxilium, consilium vel fauorem quomodolibet prestantes.

Volentes presentes nostros processus ac omnia & quacunq; hu litteris contenta, quousq; huiusmodi alij processus a nobis aut Romano Pontifice pro tempore existente fiant, aut publicentur, durare, suosq; effectus omnino sortiri.

Caterum a pradiotis sententijs nullus per alium quam per Rom. Pontificem nisi in mortis articulo constitutus, nec etiam tunc, nisi de stando Ecclesia mandatis & satisfaciendo cautione prestita, absolui possit, etiam pre textu quarumuis facultatu, & indultoru quibuscunq; personis Ecclesiasticis secularibus & quoru ordinum etiam mendicantiu, ac militarium Regularibus, etiam Episcopali vel alia maiori dignitate pradiotis, ipsisq; ordinibus, & eorum Monasterijs, Conuentibus & Domibus ac Capitulis, Collegijs, Confraternitatibus, Congregationibus, Hospitalibus & locis pijs; nec non laicis etiam Imperiali, Regali, & alia mundana excellentia fulgentibus per nos & dictam Sedem, ac cuiusuis Concilij decreta, verbo, litteris, aut alia quacunque scriptura in genere, & in specie concessorum & innouatorum, ac concedendorum & innouandorum.

Quod si forte aliqui contra tenorem presentium talibus, excommunicatione & anathemate laqueatis, vel eorum alicui absolutionis beneficium impendere de facto presumpserint, eos excommunicationis sententia innodamus, grauius contra eos spiritualiter & temporaliter prout expedire nouerimus processuri.

Declarantes ac protestantes quacunq; absolutionem etiam solemniter per nos faciendam, predictos excommunicatos sub presentibus comprehensos, nisi prius a pramissis cum vero proposito ulterius similia non committendi destiterint, ac quoad eos qui contra Ecclesiasticam libertatem ut pramittitur statuta fecerint, nisi prius statuta, ordinationes, constitutiones, pragmaticas, & decreta huiusmodi publice reuocauerint, & ex Archiujs seu Capitularibus locis, aut libris in quibus annotata reperiuntur, deleri & cassari, ac nos de reuocatione huiusmodi certiores fecerint, eos non comprehendere, nec eis aliter suffragari, quin etiam per huiusmodi absolutionem aut quoscunq; alios actus contrarios tacitos vel expressos, ac etiam per patientiam & tollerantiam nostram vel successorum nostrorum quantumcunq; tempore continuatam, in pramissis omnibus & singulis ac quibuscunq; iuribus sedis Apost. ac S. R. Ecclesie vndecunq; & quandocunq; quasitis vel querendis nullatenus prauidicari posse aut debere.

Non obstantibus priuilegijs, indulgentijs & litteris Apostolicis generalibus vel specialibus, supradictis vel eorum alicui, seu aliquibus alijs cuiuscunq; ordinis, status, vel conditionis, dignitatis & preeminentia fuerint, etiamsi ut pramitti-

tur Pōrificali, Imperiali, Regali, seu quauis Ecclesiastica & mundana praeſulgeāt dignitate, vel eorum Regnis, Prouincijs, Ciuitatibus, seu locis à prædicta ſede ex quauis cauſa etiam per viam contractus aut remunerationis, & ſub quauis alia forma & tenore, ac cum quibuſuis clauſulis etiam derogatorijs derogatorijs conſeſſis, etiam continentibus, quod ex cōmunicari, anathematizari vel interdici non poſſint per literas Apoſtolicas nō facientes plenam & expreſſam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi, ac de ordinibus, locis, nominibus proprijs & cognominibus & dignitatibus eorum mentionem, nec non conſuetudinibus etiam immemorabilibus ac præſcriptionibus quantumcūq; lōgiſſimis & alijs quibilibet obſeruantijs ſcriptis vel nō ſcriptis, per quæ contra hos noſtros proceſſus ac ſentētijs, quo minus includātur in eis, ſe iuuare valeant vel tueri. Quæ omnia quoad hoc & eorum omnium tenores ac ſi de verbo ad verbum nihil penitus omiſſo infererentur, præſentibus pro expreſſis habentes, penitus tollimus, & omnino reuocamus, ceteriq; contrarijs quibuſcūq;.

Vt verò præſentes noſtri proceſſus ad publicam omnium notitiam facilius deducantur, chartas ſeu membranas proceſſus ipſos continentes valus Eccleſiæ S. Ioannis Lateraneſis & Baſilica Principis Apoſtolorum de vrbe appendi faciemus, vt ij quos proceſſus huiusmodi concernūt, quod ad ipſos non peruenerint, aut quod ipſos ignorauerint, nullam poſſint excuſationem prætere, aut ignorantiam allegare, cum non ſit veriſimile id remanere incognitum, quod tam patenter omnibus publicatur.

Insuper vt proceſſus ipſi & præſentes literæ ac omnia & ſingula in eis contenta eo ſiant notiora, quo impleſſiq; cinitatibus & locis fuerint publicata, vniuerſis & ſingulis Patriarchis, Primatibus, Archiepiſcopis, Episcopis & locorū ordinarijs & Prelatis vbilibet conſtitutis per hæc ſcripta committimus, & in virtute ſanctæ obedientiæ diſtrictè præcipiendo mādāmus, vt per ſe, vel per alium ſeu alios præſentes literas, poſtquam eas receperint, ſeu earum habuerint notitiam, ſemel in anno, aut ſi expedire viderint etiam pluries in Eccleſiis ſuis dum in eis maior papuli multitudo ad diuinā conuenit, ſolemniſter publicent, & ad Chriſti fidelium mentes reducant, nuncient, & declarent. Ceterum Patriarchæ, Archiepiſcopi, Episcopi, aliq; locorum Ordinarij & Eccleſiarum prælati, nec non rectores, ceteriq; curam animarum exercentes, ac Praſbyteri ſeculares & quorumuis ordinum Regulares ad audiendas peccatorum conſeſſiones quauis authoritate deputati, tranſumptum præſentium literarum penes ſe habeant, easq; diligenter legere & percipere ſtudeant.

Volentes earundem præſentium tranſumptis etiam impreſſis, Notarij publici manu ſubſcriptis & ſigillo iudicis ordinarij Rom. Curia vel alterius perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eandem prorsus fidem in iudicio & extra illud vbique locorum adhibendā fore, quæ ipſis præſentibus adhibereitur, ſi eſſent adhibita vel oſtenſa.

Nulli ergo hominū liceat hanc paginā oſtra excommunicationis, anathematizationis, interdicti, inuouationis, inno-

da-

dationis declarationis, protestationis, sub-
lationis, reuocationis, cōmissionis, man-
dati & voluntatis infringere, vel ei au-
su temerario contraire. Si quis autē hoc
attentare presumpserit, indignationem
Omnipotentis Dei ac Beatorum Petri &
Pauli Apostolorum eius, se noverit in-
cursurum. Dat. Roma apud S. Petrum.
anno Incarnat. Domini. 1606. 10. Kal.
April. Pont. nostri an. 1.

P. Card. Prodatarius.

M. Vestrius Barbianus.

S. de Visinis.

Registrata apud Marcellum Secre-
tarium.

Anno à Natiuitate Domini Nostri Ie-

su Christi millesimo Sexcentesimo sexto,
Indict. quarta, die verò 23. mensis Mart.
Pont. Sanctiss. in Christo Patris & D. N.
D. Pauli Papa V. anno eius primo supra-
dicta litera Apostolica affixa & publica-
ta fuerunt ad valuas Basilicarum Prin-
cipis Apostolorū & S. Ioannis Lateran. &
in acie campi Flora per nos Bernabrum
Politum, & Bernardinum Mazzatellum
S. D. N. Papa Curf.

Io. B. Bagni. Mag. Curf.

Vltra Bullam præmissam in corpore
iuris, & in diuersorum extrauagantibus,
multa alia reseruaciones Papales repe-
riuntur.

- 1 Cap. si quis suadente. 17. quest. 4. cap. mulieres, de sent. excommuni. percutientium Clericum.
- 2 Cap. studuisti, de offi. leg. cap. sane, de offi. deleg. absolutio excommunicationis lata à legato, postquam ipsius legationis tempus expirauit.
- 3 Cap. dura. cap. ad falsarios, de crimin. falsi falsarios declaratorum, si intra dies viginti post declarationem non obtemperauerint.
- 4 Cap. significauit, de sent. excom. communicantium scienter cum excommunicatis à Papa.
- 5 Cap. tua, ibid. incendiarios postquam fuerint declarati.
- 6 Cap. conquesius, ibid. effringentium & spoliantium Ecclesias si fuerint declarati.
- 7 Cap. fundamenta, de elect. in 5. eligentium in Senatorem Romanum Imperatorem, Regem vel Principem aliquem, Comitem, & sic electi sese intrudentis in dictum officium sine Papa consensu.
- 8 Cap. quicumq;, de sent. excomm. in 6. tribuentium facultatem vexandi, capiendi, interficiendi, personas seu eorum suorumq; res, bona, eo quod tulerint excommunicationis, suspensionis seu interdicti sententiam.
- 9 Clem. multorum. S. verum. de heret. inquisitorum propter odium, gratiam, fauorem, questum, negligenter procedentium in eorum officio, vel falso alicui hoc crimen imponentium.
- 10 Clem. 1. de priuileg. Regularium sine licentia loci Parochi ministrantium Eucharistia, Vnctionis, Matrimonij Sacramenta, vel absoluentium excommunicatos à Canone, vel statuto provinciali seu synodali, praterquam in casibus à iure vel speciali priuilegio ipsis concessis.
- 11 Clem. cupientes, de pœnis inducentium aliquem ad vouendum vel iurandum de eligenda sepultura in eorum Ecclesiis.
- 12 Clem. graue, de sent. excomm. facientium celebrari Diuina in loco interdicto, vel

- prohibentium ne excommunicati tempore Diuinorum eijciantur ex Ecclesia, tum & ipsorum excommunicatorum si non exiuerint moniti.
- 13 Extrauag. 2. de sepult. comm. incidentium caduera mortuorum vel coquentium, vt ossa separentur quo alio transferri possint.
- 14 Extrauag. etsi Dominici. 2. de poenit. & remiss. comm. absoluentes in casibus ibi expressis. & alijs Papae reseruatam in excommunicatione ipso facto Papae reseruatam, & eorum absolutio est nulla.
- 15 Extrauag. 1. & secunda de Simonia & committentium Simoniam in ordine vel beneficio, vel religionis ingressu. Similiter accipientes pro collatione sine traditione possessionis beneficij partem aliquam fructuum vel distributionum ipsius beneficij, seu de dando aliquid iurare facientes prouisum de beneficio, voluit incurrere similem censuram. Pius V. Const. sua incip. Durum nimis. de an. 1570. Kal. Iun.
- 16 Extrauag. Viam ambitiose. de Regular. transuentium de regula mendicantium, ad non mendicantes sine licentia Papae.
- 17 Conc. Constantien. sess. 41. incip. omnis etas sapientium bona Cardinalium, dum in conclauisunt seu electi in Papam.
- 18 Conc. Trident. sess. 5. de peccato originali. innouat extrauag. Six. IIII. incip. graue nimis. de reliq. & venerat. san. qua reseruatur excommunicatio asserentium peccare mortaliter eos qui dicunt B. M. V. conceptam esse in peccato originali, ve contra. Idem innouauit Pius V. const. sua incip. Super specula. de an. 1570. prid. Kal. Decemb. Et nouissime Paul. V. eas dem prohibitiones & poenas ad Conciones, Lectiones, Conclusiones, & actus publicos extendit decreto suo publicato in an. 1617. 12. mensis Sept. quod alio loco referemus.
- 19 Extrauag. 1. de sent. excommun. comm. innouata per Greg. XIII. in anno 1574. Nonis Nouemb. dantium, accipientium, promittentium aliquid in Curia Rom. pro gratia seu iustitia obtinenda.
- 20 Conc. Lateranen. sub Iulio 11. sess. 5. Cardinalium in committentium simoniam in electione Papae.
- 21 Apud S. Anto. 3. par. tit. 25. nu. 30. Syl. ver. excommunicatio. 7. peregrinantium ad sepulchrum Domini sine licentia Papae.
- 22 Conc. Lateranen. sub Leo. X. sess. 9. Cardinalium reuelantium secreta Confessorij.
- 23 Ibid. sess. 11. predicantium falsa miracula seu allegantium prophetias quae non extant.
- 24 Ibid. Detrahentium Episcopis, Prælati eorumq. status.
- 25 Extrauag. munera Pauli. 11. comm. officialium quorumcunq. accipientium munera præter comestabilia paucorum dierum.
- 26 Conc. Trid. sess. 22. cap. 11. de ref. bona, fructus, census Ecclesiarum vel priorum locorum vsurpantium, quae videtur in Bulla Coenae Domini contineri.
- 27 Extrauag. Pauli III. & Greg. XIII. non reddentium integrè computa in Camera Apostolica.
- 28 Extrauag. Pauli. III. cum secundum tractantium de nouo Papa eligendo uiuente alio.

- 29 Pij IV. Ea que de anno. 1560. idib. Nou. pugnantium in duello, que eadem prohibito facta fuit prius à Julio 2. Leon. X. Clem. VII. Conc. Trid. sess. 25. cap. 19. de ref. reassumpta à Greg. XIII. Constitut. incip. Ad tollerandam. public. 24. Decemb. anno 1582. & nouissime omnes iste ordinationes renouate fuerunt à Clem. VIII. ordinatione sua incip. Illius vices. de anno 1592. qua omnes duellam seu certamen singulare ex composito ineuntes nec non id suadentes aut pronocantes, opem, consilium fauoremq. prestantes, equos, arma & comneatus prebentes, aut comitantes, chartas, libellos, ad hoc deferentes, de industria spectatores, defensores, fautores, excommunicatione predicta ligari decernit.
- 30 Extrauag. in emanentis. Eug. IV. procedentium per censuras contra eos qui in Curia in seruitio PP. seu pro negotijs expediendis morantur, tum & illorum qui beneficia per priuationem sic in Curia morantium vacantia acceptauerint. que hodie videtur comprehensa in Bulla cæna Domini.
- 31 Extrauag. cum sicut. Innoc. VIII. singentium se esse nepotes Cardinalium quo litteras gratis expediant.
- 32 Extrauag. Romanam. P. Pij IV. Intolerabilis. Pij V. accipientium beneficia in confidentiam.
- 33 Extrauag. Pij IV. In sublimi. Pij V. In omnibus. excommunicat officiales S. Penitentiarie. qui aliquid pro expeditione etiam à sponte dantibus accipiunt, vel ea que ipsis sunt prohibita expediunt; Similiter & Officiales, Correct. Cancellaria & contradictarum, & reseruat absolutionem.
- 34 Constitut. Greg. XIII. incip. vbi gratia. Anni 1575. Idib. Iunij. innouauit excommunicationes antiquas contra ingredientes Monasteria Monialium sine licentia expressa Superiorum, & excommunicationis incurse propter huiusmodi ingressum absolutionem Papa reseruat; similiter & Montales exeuntes extra claustrum præterquam in casibus magni incendiij, infirmitatis, lepræ, vel Epidemie, & eas receptantes, comitantes, incurrunt excommunicationem reseruatam ex constitut. Pij V. incip. Decorum. ann. 1570. Kalend. Febr. ad quod alia constitutio eiusdem Pij V. incip. Regularum. de an. 1566. 24. octobr. qua prohibentur mulieres quocunque etiam priuilegiorum quorumcumq. prætextu, ingredi Monasteria Virorum sub excommunicationis poena ipso facto incurrenda & Papæ reseruata.
- 35 Constitut. Pij V. incip. Quam plenum. anni 1570. 4. Non. Ianu. publicantes indulgentias, & facultatem dantes eligendi confessores in reseruatis aliquid soluentibus, minores prelatos voluit incurrere excommunicationem, Episcopos verò suspensionem ab ingressu Ecclesiæ & Sacramentorum perceptione vsq. ad restitutionem & absolutionem Sedi Apostol. reseruauit.
- 36 Extrauag. Mart. V. incip. ad reprimend. excommunicat. trahentes personas Ecclesiasticas ad forum faculare, & Iudices seculares si iudicauerint sic tractos Clericos ad ipsorum iudicium ipsiusq. excommunicationis absolutionem reseruat Sedi Apostol.
- 37 Varijs extrauag. Pij V. Greg. XIII. Sixt. V. excommunicantur bannitorum receptatores, fautores & absolutio reseruatur.

- 38 Multae etiam reservationes reperiuntur in fauorem diuersarum Religionum factae, ut eorum qui famosos libellos contra Religiosos publicant, eorum Apostatas recipiunt Religiosi ipsi per fauores, subornationes in electionibus eorum officia quarentes, impediens personas volentes ingredi religionem, quae in diuersis Regularium priuilegijs videri possunt apud Consect. in sua Collectione priuilegiorum mendic.
- 39 Extrauag. Py V. incip. licet omnibus excommunicat capientes Christianos habitantes in locis à Turcis occupatis. Eiusdem Py V. consuit. incip. Quantam incurrunt suspensionem Papa reseruata admittentes resignationem beneficiorum contra formam in eadem Consuit. prescriptam & si violauerint huiusmodi suspensionem, contrahunt excommunicationem similiter Papa reseruata.
- 40 Constitut. Greg. XIII. incip. inter Apostolicas anni 1584. Nonis septem. excommunicat facientes iurare illicita vel de obseruandis ordinationibus statutis contrarijs decretis Concil. Triden. & reseruata absolutionem.
- 41 Clem. VIII. decreto suo damnauit opinionem asserentium confessionem & absolutionem sacramentalem inter absentes per litteras posse fieri, & si quis talem opinionem docuerit, defenderit, tractauerit, imprimi fecerit, eum voluit incurrere ipso facto excommunicationem à solo Romano Pontifice absoluendam. quod decretum scitu perutile hic posuimus, ut sequitur.

Sanctissimus D. N. auditis votis Patrum Theologorum & re cum Illustrissimis & Reuerendis. DD. Cardinalibus contra hereticam prauitatem Generalibus Inquisitoribus mature & diligenter considerata, hanc propositionem, scilicet licere per litteras seu internuncium confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri, & ab eodem absente absolutionem obtinere, ad minus uti falsam, temerariam, & scandalosam damnauit, ac prohibuit, praecepitque, ne deinceps ista propositio publicis priuatisque lectionibus, concionibus, & congressibus, doceatur, neue vnquam tanquam aliquo casu probabilis defendatur, imprimatur, aut ad praxim quouis modo deducatur. Quod si quis illam docuerit, defenderit, imprimi fecerit, aut de ea etiam disputatiue tractauerit (nisi forsitan impugnando) vel ad praxim directe seu indirecte deduxerit, praeter excommunicationem latae sententiae quam ipso facto incurrat & à qua non possit (praeterquam in articulo mortis) ab alio quacumque, etiam dignitate fungente etiam Sanct. Roman. Ecclesiae Pœnitentiario, nisi à pro tempore existente Romano Pontifice absolui, alijs etiam pœnis arbitrio instigendis subiaceat. Publicata Rom. 19. Iulij. 1602.

Quintil. Adrian. Not.

- 42 Reseruata est ad extremum Papa dispensatio quinque votorum Religionis, Castitatis, peregrinationis ad limina S. Apost. Petri & Pauli. Hierosolymam Cōpostellam extrauag. Six. IV. & si Dominici de pœnit. & remis. comm. Nau. cap. 12. num. 75. In praemissis itaque, reseruatis absolutiones dare non potest Episcopus, praeterquam si priuilegium ad hoc habuerit speciale, vel in casibus ut infra referemus

ARTI-